

N. 18. 78 L 1637 [E33]

NATALEM  
GYMNASII HALLENSIS  
CLXXXIII

D. XXVIII AVGUSTI CI CICCC XXXXVIII

IN  
AVDITORIO MAIORI  
HORA POMERIDIANA SECVNDA  
SEPTEM ORATIONIBVS CELEBRANDVM

INDICIT

DE  
ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑΙ  
HEBRAEORVM

PRAEFATVS

IOANNES MICHAEL GASSER,  
GYMN. RECTOR.

HALLAE MAGDEBURGICAE.

LITTERIS EMANVELIS SCHNEIDERI ACADEM. TYPOGRAPH.



Kapitel 78 L 1637 [33]

X3047849 An

§. I.

**S**ecundum res Atheniensium Romanorumque publicas *Hebreorum* gentem inspiciamus: qua nulla vniquam in terris nec sanctior, nec bonis exemplis dicitur fuit. Non enim hominem aliquem ex terrena mortalique natura et caduca concretum, sed ipsum deum immortalem rei publicae suae auctorem conditoremque habuit: qui populum istum ab omnibus orbis terrarum nationibus secretum segregatumque et ipse rexit imperio, et optimis legibus saluberrimisque institutis temperauit. Haec sunt illæ leges, quæ, quod CRASSVS olim de libello XII tabularum apud CICERONEM pronuntiauit a), bibliothecas omnium philosophorum et auctoritatis pondere et vtilitatis ubertate superant. Quæ quem ad modum multa habent eximia planeque singularia, atque eiusmodi, quæ summi rectoris ac domini numen aperite prodant: ita σεισαχθεῖσας quoque cuiusdam in illis vestigia deprehendisse mihi visus sum; id quod nunc pluribus explicabo.

§. II.

Quid, obsecro, annus ille *Sabbaticus*, quid *Iubileus* aliud fuit, quam λύτρωσις σωμάτων ἡ καὶ ἀηδίαιτον, hoc est vno verbo σεισάχθεις b)? Anni *Sabbatici* (hinc enim ordiendum est) ius ab Mose traditum tria haec præcipua capita complectitur, 1) שְׁמִינִית הַחֲרֵץ seu quietem terræ concessam, 2) שְׁמִינִית כָּסֵפֶם seu remissionem nominum sex annis superioribus contractorum, ac denique 3) שְׁמִינִית עֲבָדִים sive manumissionem seruorum c). Sunt, qui plura, sunt, qui pauciora numerent, quos adducit IO. HENR. MAIVS in dissertatione de iure anni septimi secundum disciplinam *Hebreorum* d).

Nos de partium numero parum iam solliciti, duo tantum momenta considerabimus, quorum alterum in remissione nominum, alterum in seruorum manumissione positum est. Ceterum quum Sabbatha pariter atque annos *Sabbaticos* populo Hebreo ipse deus prescripserit, paullo iniquior est grauissimus alioquin historiarum scriptor, TACITVS, quando ait: *Septimo die otium placuisse ferunt; quia is finem laborum rulerit: deinde blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum e).* Quam falsa præter ea sunt, que de origine horum temporum sacrorum refert idem auctor, dum, *aliij honorem eum, inquit, Saturno haberet; sive principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, et conditores gentis accepimus; seu quod e septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et præcipua potentia stella Saturni feratur; ac pleraque celestium vim suam et cursum septimos per numeros confiant.* Nuge! quibus veriora quiuis vnu de plebe iudeus docere

potu-

a) Orat. L. I. c. 44.

b) Ita enim vocem hanc interpretatus est DIOGENES LAERT. L. I. c. II. n. 1. p. m. 45.

c) Exod. XXI. 2-11. XXIII. 10. II. 12. Leu. XXV. 1-8. Deut. XV. 1-19. XXXI. 10. II.

d) §. I. p. 6, sq.

e) Histor. L. V. c. III.

potuisset. Iniquior est et **IV VENALIS**, qui desidiae causa septimum quemque diem ab iudeis celebratum esse calumniatur f):

*Iudaicum ediscunt, inquit, et seruant, ac metuant ius,  
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses:  
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti:  
Quesitum ad fontem solos deducere verpos.  
Sed pater in caussa, cui septima quæque fuit lux  
Ignaua, et partem vita non attigit ullam.*

Hinc etiam ab epigrammatum scriptore iudei per contemtum **Sabbatarii** vocantur g).

§. III.

Sed ad propositum redeo. Nimurum primo omnium sancitur χρεωστικα, seu lex, *qua debitoribus creditæ pecunie condonentur* h). Moses enim ait: זה שבע שנים תעשה שמיטה: זה דבר השמטה שנות כל בעל משא ידו אשר ישא ברעהו לא יוש את רעהו ואת אחו כי קרא מקץ שבע שנים ל' שבע שנות שמיטה ליהוה: que verba sic latine reddit CASTELLIO: *Septimo quoque anno remissionem æris alieni) facitote, cuius remissionis haec erit ratio: omnibus debitoribus nomina remittuntur, neque creditori fas esto, interpellare suum proximum aut consanguineum, indicita Iouana remissione.* Primo significat diuinus scriptor tempus, quo remissio ista fieri debuit: deinde homines, ad quos ea pertinuit; ac denique qualitatem remissionis. Tempus indicant verba *מקץ שבע שנים, in fine septem annorum:* que MAIMONIDES sic exposuit i): *אין שביעית שמיטה כספין* אלא בסופה שנאמר מקץ שבע שנים העשה שמיטה וזה דבר השמטה ושם הוא אומר מקץ שבע שנים השמטה בחז ורשותו מה שם אחר שבע אף השמטה כספין אחר שבע לפיקד הלווה את חבירו בשבעיות עצמה זוכה חוויכו כל השגה ותשאשך קחמה בלולי hoc est, debita non remittuntur nisi in fine septimi anni, quem ad modum dicitur (Deut. XV. 1.): in fine septem annorum facito remissionem. *Hee vero intermissionis ratio est.* Et ibid. (Deut. XXXI. 10) in fine septem annorum, statu tempore anni remissionis, in festo tabernaculorum. *Quis sensus illorum verborum est?* Post septem annos: *quod remissio debitorum fiat post septem illos annos.* *Quicunque igitur proximo suo mutuum dat eo anno septimo; toto illo anno debitum suum exigere potest: si autem sol occubuerit sub noctem novi anni in exitu anni septimi; tunc debito suo excidit.* Sed errat iudeorum magister, et quotquot eum sequuntur k). Non enim dicitur: *in fine septimi anni*, sed *septem annorum:* septimus quippe annus finis est totius septennii. Atque hanc explicationem non ipse modo facer codex, l) sed Hebraeorum quoque doctores confirmant. Etenim RAMBAN, s. r. MOSES BEN NACHMAN m), quemad modum

cuncta,

f) Sar. XIII. 10. sqq. g) Marcial. L. III. epigr. III. h) Deut. XV. 1. 2.

i) in **הַבְּרִית שָׁמִתָּה** cap. VIII. §. 3. p. 93. edit. IO. HENR. MAIL.

k) vid. LUNDIUS in **judischen Heiligt.** p. 1219. ex edit. WOLFIL.

l) Deut. XIII. 28. XXXI. 10. Ierem. XXXIII. 14. m) in *comment.* h. l.

euncta, inquit, principium et finem habent, et proinde quoque numeri  
(vti denarii principium unitas, decem finis est): ita in septem Schemittæ  
annis principium huius numeri est primus, finis autem septimus, quo ab-  
solutur prædictum spatium n<sup>o</sup>. Hinc itaque palam est, finem septem  
annorum esse ipsum annum septimum. Quo modo difficultatem non  
habent illa: in fine septem annorum. Perinde enim est, ac si dixisset:  
in fine numeri septenarii, id est, ipso septimo anno o).

§. III.

Homines, quibus Schemittam induxit diuina benignitas, sunt 1) soli  
Hebrei, 2) soli pauperes et egentes. Non gaudebant igitur legis huius  
beneficio peregrini aut alienigenæ: sed qui vel sanguinis gentiles, vel  
farcorum communione iuncti erant, ad eosdem etiam iuris legisque  
commemorata pertinuit communio. Namque annus remissionis non  
omnibus nationibus, sed soli Hebreorum populo edicebatur. Cum pere-  
grini ergo summo iure agi, iique de pecunia credita adpellari poterant.  
Perspicue enim in volumine Mosis scribitur p): ab alienis exigere  
vobis licebit: sed quod vobis debebunt vestri consanguinei, id remittitote.  
(Inter vos quidem nullos esse oportebat pauperes: si quidem vos ditaret  
Ioua deus vester in terra, cuius vobis occupandam possessionem dat; si  
modo ei dicto audientes, huic omni discipline, quam ego vobis hodie tradoo,  
parere non detrectaretis. Ditaret, inquam, vos Ioua, deus vester, quem  
ad modum vobis promisit, ut et multis nationibus mutuaretis, neque ipsi  
mutuaremini; et imperaretis multis, neque vobis imperaretur.) Quod si  
tamen apud vos vestre consanguinitatis erit pauper in terra vestra, vobis  
ab Ioua deo vestro data: noliro in panperem cognatum tuum aut animo  
durior, aut manu esse contractior; quin aperta manu largitor, et tanum  
ei mutuato, quantum satis erit ad penuriam, qua laborabit. Caueto,  
ne ea sit animi tui malignitas, vt septimo, id est, remissionis anno, pro-  
pinquante, pauperi consanguineo tuo dare renuas; ne eo ad Iouam con-  
querente des poenas: sed eti dato, idque non inuito animo. Nam eam  
ipsam ob causam omnia tibi opera et negotia Ioua deus tuus fortunabit.  
Neque vero deerunt, scio, in vestris finibus pauperes: hanc ob rem ego  
vobis præcipio, vt consanguineis egentibus et pauperibus in vestris finibus  
liberales vos prebeat. E quibus verbis id quoque simul constat, debitorum  
remissionem in ipsa gente hebreæ non promiscuam et vniuersalem,  
sed ad pauperes tantum et egentes restrictam fuisse.

§. V.

Ad qualitatem remissionis quod attinet, queritur: vtrum in Schemitta  
nomina ita sint remissa, vt posthac plane non potuerint exigi: an inter-

missa

n) Eodem modo ABEN ESRA loquitur ad Exod. XXI. 2. **לְכָל רַבֵּר יְשָׁרֶת לוֹ שְׁנִי** קצ'ותה והנה והנה סען ימ'ניא קץ ש'הנא ח'לה וט'ם ש'הווא ב'ס'ה  
confer.  
idem ad Deut. XV. 1. o) vid. IOANNIS MEYERI tractat. de temporibus sacris  
et festis diebus Hebreorum c. XVII. §. 17-18. p. 334. sq. et IO. BENR. MAII dissert.  
de iure anni septimi §. 5. p. 12. p) Deut. XV. 3-11.

missa tantum septimo anno et dilata, sic ut postea repetere licuerit? Prior sententia communi iudæorum suffragio comprobatur: altera maximis summorum virorum auctoritatibus se tuetur. His accedit IOANNES MEYERUS, qui, verisimile est, inquit, remissionem debitorum non fuisse perpetuum, sed pro illo septimo anno dumtaxat exactiōnem intermissam, debito manente, et sequentibus annis reposendo. Quem ad modum non exigebatur prouentus ab agris: ita neque debitum a debitore exactum; quod eiusmodi anno, quo nihil serebatur et metebatur, homines præsertim tenuioris fortune non essent soluendo. Ut autem sequentibus annis licite redibant ad agrorum culturam: ita etiam debitum exigere poterant q). Ceterum pauperes et egentes ab ditionibus et locupletioribus diligenter discernendos esse, præter Mosis dicta etiam ratio monet. Egestate enim pressis στεράχθειαι plenam et perpetuam concessam fuisse, non est, quod dubitemus. Quid? quod ad exigenda debita ne chirographum quidem valuit. Namque in מס' שבעות c. X. dicitur: שבעה משמטה בשהר לרא בשהר, *septimus annus dimittit debitorem atque efficit*, ut creditor non possit exigere debitum, siue habeat chirographum siue non habeat: vel, ut וְ ibi exponit: שלא בשטר ה'א שטר של'ה ב'ו בבואר אחריות נסכין hoc est, siue habeat chirographum, in quo certa hypotheca est expressa, siue habeat chirographum, in quo nulla hypotheca expressa est. Non autem chirographum modo restituendum debitori, sed condonatio etiam per spiculū verbis declaranda erat. Nimirum המחוור החוב בשבעות id est, qui redire facit debitum in anno Sabbatico, dicat: ego remitto r). Quam seria, quamque severa lex ista de condonando ere alieno fuerit, docet porro MAIMONIDES, f) cuius verba ex versione latina hic transscribemus: qui detrectat proximo suo ante remissionis tempus mutuum dare, metuens, ne debitum nimium differatur, vel plane remittendum sit; ille præceptum negans non obseruat, quod his verbis continetur: cauelo tibi, etc. atque ita graue peccatum commitrit. Namque lex duas prohibendi particulas adhibet, pronuntians השמר לך פן ומן caue tibi, ne, et reliqua. Vbicumque enim vel השמר לך vel exstat, ibi latet præceptum negatiuum. Adeo etiam lex prescindit omnem malam eiusmodi cogitationem, quam בליישל nominat. Ulterius monet

q) Tr. de temp. sacr. et festis diebus Hebræorum c. XVII. §. 20. p. 335. In hanc sententiam verba legis diuinæ interpretatur etiam IO. LAUR. SCHMID in volumine Mosaico libere translate p. 923. Die Gläubiger, welche etwas ausgelichen haben, müssen in diesem Jahr ihre Schulden alle stehen lassen, und dürfen solche weder bey denen von der Nation, noch bey denen Fremden unter denselben eintrüben: Denn in diesem Jahre muß man Gott zu Ehre jedermann Freiheit lassen, und dieses muß auch öffentlich bekannt gemacht werden. Bey ausländischen Nationen darf man das seinige allerdings fordern: allein was an die Nations Verwandten und inländischen Fremden ausgelichen ist, das muß man stehen lassen. r) vid. PAULLI SLEUOGTI dissert. de anno iubileo et eius iuribus apud Hebreos §. XX. ס' in חלבות שפטה יובל c. VIII. §. 24.

monet et precipit, minime liberalitatem cohibendam, sed ostendendam hic esse, dum ait: omnino dabis, nec malignus erit animus tuus in dando illi, etc. Denique deus O. M. promittit mercedem seruati praecepti: siccirco quippe fortunabit te, etc. Nihilo tamen fecius longo post tempore Hillel senior, vir, qui apud gentiles suos plurimum auctoritate valebat, Hillel, inquam, inuentus est, qui legi isti derogaret, adiecta noua constitutione, פְּרוֹבָוְל, t) quasi προσβελή, appellata, cuius en formulam: ego defero vobis N. N. et N. N. iudicibus loci N. N. me omne debitum, quod mibi competit, exigere velle, quocunque tempore placuerit u). Recte tamen Hebraeorum cordatissimus quisque, et in iis MAIMONIDES, iudicant, Hillelis constitutionem nihil aduersus legem diuinam valere oportere x).

#### §. VI.

Hactenus de illa τεισαχθελας parte diximus, que λύτρωσιν κηματών seu pecuniarum continet: iam igitur ad λύτρωσιν σωμάτων, ipsorum quoque corporum seu hominum liberationem progrediendum nobis est. Septimo quoque anno quin serui Hebrei a dominis suis manumissi atque in libertatem restituti sint, nulli dubitamus. Idque ad τεισάχθειν Hebraeorum confirmandam fatis est. Sed queri solet, utrum quavis שמטה recurrente, seu anno quoque Sabbatico, an septimo tantum seruitutis, nulla Sabbathi ratione habita, serui Hebrei fuerint manumissi? Ne opinionum contrariarum et repugnantium recensione molestus sim: breui dicam, quod sentio. Scilicet annus *Sabbaticus*, ut talis, seruum Hebreum non liberavit: nisi forte simul septimus fuit seruitutis. Quum enim sex annos illum feruire oporteret: anno demum septimo servitutio illi exire licuit; siue is *Sabbaticus* fuerit, siue minus y). Ita e. g. annus XXXXVIII era *Sabbatarius*: annus subsequens *iubileus*, quo ferui erant dimittendi. Manumissio autem qui fieri potuisse anno L, si iam anno *Sabbatico XXXXVIII* facta fuisset? Consentientem habemus MAIMONIDEN, z) cuius verba latine dabimus. *Quemcumque iudices, inquit, vendiderunt, is inde ab eo die, quo venditus est, sex annos feruit, ac septimi anni principio liber exit.* *Quod si intra sex illos annos incidat annus Sabbaticus, seu remissionis, etiam hoc durante seruit.* Sin autem incidat annus *iubileus*, licet uno anno ante *iubileum venditus fuerit, tamen liber erit; quia dicitur Levit. XXV. 40.* Vsque ad annum *iubileum* seruet, cer. Qui se ipse vendit, in plures, quam sex, annos se vendere potest: sin autem se vendiderit in decem vel viginti annos, et interuenerit *iubileus*, licet id fiat anno post, ex quo venditus est; ille liber erit in *iubileo*, secundum Levit. XXV. 40. Idem in הלכות שמטה annum *Sabbatarium*

z) de פְּרוֹבָוְל vid. MAI adnotaciones ad MAIMON. הלכות שמטה c. VIII. §. 12. p. 106 sqq. it. eiusd. dissert. de iure anni septimi, §. 7. p. 18. add. BUXT. Lexic: Talmud. et Rabbinis. ad h. v. u) MAIMON. d. I. §. 14. x) ibid. §. 12.

y) Exod. XXI. 2. coll. Deut. XV. 18. Ierem. XXXIX. 13. 14. add. Levit. XXV. 10. II. 28. 29. 39. 40. 54. z) in הלכות עבדים c. II. §. 2. 3.

batarium ab iubileo in hoc diuersum esse scribit, quod Sabbatarius remittat debita, non iubileus, et quod iubileus faciat, ut serui in libertatem vocentur, ac fundi restituantur; quorum nihil anno Sabbatario accidat aa).

§. VII.

Dicit nos annus Sabbaticus ad iubileum bb): qui aequæ σειταχθεῖσαι imaginem nobis proponit. De nomine לְוִי, itemque de anni huius festi prima institutione, ceterisque, quæ hic in questionem ventiunt, non disputabimus: quum, quæ in hanc rem dici possunt, iam ab aliis sint occupata cc). Id potius dabimus operam, ut, quæ beneficia iubilei anni fuerint, cognoscamus. Ergo duo fuerunt huius anni præcipua et propria, λύτρωσις σωμάτων, libertas seruū Hebreis induita, et λύτρωσις άηματων sive in fundos et possessiones paternas et auitas restitutio.

Anno igitur iubilei serui Hebrei, qui seruitutem seruuerant, nullo discrimine libertatem optimam consequerantur, et cum vxoribus liberiisque suis ad patrios lares redibant. Quamuis enim, quod MAIMONIDES docet dd), non statim anni principio fuerint dimissi: tantum tamen abest, ut seruiles operas heris suis præstiterint, ut tamquam Bacchanalia agantes, epulis vinoque madidi, coronis capiti impositis, vario letitiae genere omne tempus interim transegerint. Simul ac vero dies propitia illuxerat, signumque tuba datum est a Synedrio: tum serui libere dimissi, ad gentilitatem suam reueterunt; ne illis quidem exceptis, qui septimi anni beneficio non vsi, in perpetuam seruitutem aure sibi perforata fessa addixerant.

Alterum iubilei anni beneficium consistit in gratuita fundorum agrorumque restitutione. Scilicet quam genti Hebreæ habendam colendumque terram Ioua concessit, non mancipio dedit, sed vsu. Vniuersæ gentis fundi possessionesque non in ipsorum dominio erant, ut res privatae: erant χερτει μὲν Hebreorum, οἵτε δὲ Iouæ: fructus proinde illorum, mancipium huius erat. Quisquamque autem rem, cuius ipse dominus non est, alteri mancipare potest? Evidem emi vendique possessiones Hebreorum, atque ita tradi aliis potuisse, non negauerim: sed erant illæ tunc in bonis dumtaxat accipientis, non in dominio. Itaque nec vendi in perpetuum fundus poterat; id quod Ioua sanxit his verbis ee): terra ne vendor in perpetuum: nam mea terra est, et vos mibi peregrini estis et conuene. Aduersus emtorem igitur fundi iudaici æterna erat auctoritas. Iussit enim deus in omni possessionum Hebraicarum solo redimendi soli ius esse populo suo: ne videlet familiæ sensim sensimque de fundorum paternorum possessione deiecta ad summam tandem

inopit-

aa) c. X. §. 12. bb) Leuit. XXV.

cc) vid. SLEUHGT. dissert. de anno iubil. et eius iuribus apud Hebreos, §. 2--9.  
MEYERUS de temporibus sacris et festis diebus Hebreorum c. XVII. MAIUS in  
adnotat. ad c. X. MAIMONID. חלכota שבעת וובל cf. LUNDIUS in den jüd.  
schen Heiligthümern c. XXXII. p. m. 1228. lqqq.

dd) l. c. c. X. §. 10.

ee) Leuit. XXV. 23, 24.

inopiam et egestatem prolaberentur. Testem habemus MAIMONIDEN, qui dicit: *ff* המהלקה לשבותםanca נמברת (א' נב' h. e. terra Israëlitica in tribus diuisa non vendenda est, ad exterminationem, siue in perpetuum et spe redēptionis sublata: quod si tamen fieret, vierque (tam emtor quam vendor) peccaret in legem prohibentem. Si quis vero extrema necessitate coactus vendiderat: gaudet iure redēptionis elapsō biennio, et restitutio in integrum anno iubileo; quo tempore omnis possessio, siue vendita, siue dono data, siue alia quadam ratione alienata, aliosque super alios possessores foriuta, pristino suo domino gratis, Ioua sic iubente, redditā est *gg*).

§. VIII.

Hæc de σεταχθεῖα Hebreorum pro instituti nostri ratione sufficient. Plura qui desiderat, auctores adeat hinc inde commemoratos: vnde haurire licebit, quantum ad fidem explendam, immo satiandam satis est. Ad illud iam accedo, quod mearum partium proprium esse intelligo. Quum enim ad augendam natalis gymnasii huius CLXXXIII sollemnitem septem adolescentes bona spei ad oratiunculas recitandas surrecturi sint, nimirum

IOANNES PETRVS HERMANN, Hallensis, de ortu, institutione, indole et virtutibus Socratis generatim, orat. germ.

IOANNES ANDREAS WILHELMVS BÜCHNER, Erfordiensis, de genio Socratis, latine,

BAPTISTA GODOFR. TRAVTMANN, Mansfeldensis, de ratione instituendi iuuentutem, qua Socrates usus est, orat. germ.

CAROLVS AVGVSTVS FRITZE, Hallensis, de eodem argumento, itidem sermone patro,

IOANNES ERHARDVS FABER, Greusenais, de Socrate ab Sophistis accusato, oratione latina,

AVGVSTVS GODOFR. SIGISMUNDVS TEVCHERT, Guflena Cothenensis, de Socrate condemnato versibus germanicis,

CHRISTIANVS FRIDERICVS STOELTZER, Hallensis, de Socrate in carcere sermonibus ultimis, oratione vorsa, et lingua vernacula, dicturi:

Proinde vos vtriusque rei publicæ proceres, viros, munerum dignitate amplissimos, cum primis patronos atque ephoros gymnasii nosri spectatissimos, ceterosque ludi nostri fautores atque amicos oramus atque obsecramus, ut crastina luce hora pomeridiana secunda frequentes in auditorio maiori conuenire velitis, ac iuuenes nostros publice recitatores ea prosequamini in audiendo benevolentia, quam aliis, nobisque ipsis iam saepius humanissime confuestis impertire.

*ff*) in הלכות שמונה יוובל c. XI. §. 1. *gg*) Id. l. c. §. 8. et 10.

P. P. A. R. S. cl. lo cc xxxxviii. A. D. VI. Cal. Septembr.

N. 18. 78 L 1637 [E33]

TALEM  
II HALLENSIS  
XXXIII

GVSTI CI CC XXXXVIII

IN

RIO MAIORI

ERIDIANA SECUNDA

TONIBVS CELEBRANDVM

INDICIT

DE

A X Θ E I A I

RAE OR VM

P R A E F A T V S

M I C H A E L G A S S E R ,  
M N . R E C T O R .

E MAGDEBURGICAE.

S SCHNEIDERI ACADEM. TYPOGRAPH.

78 L 1637 [33]

X3047843

An

